Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



33

Tempus quoque & locum continue quantitatis esse pronunciat. Tempus namque esse quantitatem res illa demonstrat quod in spatio .i. in longitudine vel breuitate considerat. Continui uero esse res illa demonstrat quod partes temporis habent aliquem communem finem ac medium ad quem coniungant extrema. Nam cum sint partes preteriti et futuri. Hoc presens tempus communis est finis. Huius namque finis est illi initium. Locus quoque est. Locum uero dicimus quocumque illud sit quod partes corporis tenet siue sup siue a latere seu subter sit aliquid locus dicitur. Quod si cuncte partes corporis locum tenent. & quia circa corpus est locus pomme corporis spatium parte diffundit. que omnes corporis partes a loci partibus occupabuntur. Quod si non esset quod communis finis coniungebat corporis partes ei loci. illa quoque loca que sunt corporis partium uinguntur. Et est eodem modo locus de continua quantitate quemadmodum et corpus. Ita enim communis finis inuenitur in loco partium quemadmodum in corpore. Iccirco quod corporis locus per corpus omne diffunditur. Quod autem diximus esse autem talium et tempus et locus quemadmodum supra de continuis loquebatur. tempus quoque et locum continuis addidit dicens. Sunt autem talium tempus & locus .i. continua. Sed post continue et discrete quantitatis diuisionem aliam a principio rursus ordinat.

Amplius. alia quidem existant ex particulis que in eis sunt positionem habentibus; alia autem ex non habentibus positionem. ut est linea quidem particule positionem habent ad se inuicem. Singulum namque eorum situm est alicubi. & habet unde sumas et assignes unum quod ubi situm est in plano. & ad quem particula ceteras copulet. Similiter et particule plani positionem habent. Similiter namque ostenditur unum quod ubi iacet. et que copulant ad se inuicem. Sed & solidorum similiter et loci. Rursus alias quantitatis differencias. Sunt enim quantitates quedam alie que ex habentibus positionem ad se inuicem suis partibus existant. alie uero que nullam partium habent positionem. Positionem uero partium retinere dicuntur quas triplex ista natura est. Primum ut ei partes alicubi sint. Secundo ne pereant. Tertio uero ut sese partes ipse coniungant. & propria se ordinatione continuent ut est linea. Posita autem linea in superficie